4

ORATIO DE PACE, DE'QVE EAM RATIONIBVS RETINENDI: ITEM QVOD NVLLA ſufficiens cauſa ſit, cur nominis Chriſtiani Principes arma aduerſus ſe mutuò ſumant:

Ad illuſtriſſimos iuxta ac potentiſsimos, Henricum & Philippum Galliæ ac Hiſpaniæ Reges, in vltima belli tranſactione Gallicè cõſcripta & habita

A G. AVBERTO PICTAVIENSI IN *Curia Parlamenti Pariſienſis Aduocato: in Latinum uerò idioma nuper à Martino Helſingo tralata.*

PARISIIS,
Apud Federicum Morellum, in vico Bellouaco, ad vrbanam Morum.
M. D. LX.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO D. IOHANNI DVCI FINLANDIæ, &c. Domino ſuo clemẽtiſſimo, Salutem, necnon proſperum ac fœlicem in rebus gerẽdis, atque adeò toto uitæ curriculo, ſucceſſum, ex animo quàm humillimè precatur.

POſtquam in Galliã ueni, illuſtriſſime Princeps, & aliqua ex parte eius gẽtis linguam intelligere cœpi, eaq; mihi Græci ſermonis ubertatẽ, ſuauitatẽ, & elegãtiam quodammodo redolere uiſa eſt, arbitrabar operæ me pretium facturum, ſi temporis nonnihil poſtmeridiani, pręcipuè quòd grauioribus animi cogitationibus minus accommodum eſſet, plenius cognoſcendæ illi linguæ tribuerẽ. Nam etſi nõ ſum neſcius, eius mihi uſum in patria uel nullum, uel ſanè perquàm exiguum, fore: (ſiquidem perpauci illic reperiũtur, qui eam ita calleant, ut in quotidiano illa ſermone, quemadmodum propria, Latina, uel Germanica, utantur.) tamen quum multa præclarè & eruditè Gallicæ gentis idiomate ſcripta paſsim reperiantur, quæ nõ abſque fructu legi ab eo interdũ poſſint, qui eiuſdem idiomatis nõ prorſus ſit ignarus, ideò uel eam ob cauſam eatenus diſcenda mihi uidebatur, quatenus ad ea intelligenda, quæ ſcripto comprehenſa of-

ferantur, uſui eſſe poſſet. Huc deinde acceſſit, quòd tempus illud ſubmeridianum uix utilius collocari à me poſſe uidebam, quàm ſi ludicro eiuſcemodi exercitio animum ad grauiora mox cogitanda præpararem. Cumque eò iam eſſem progreſſus, ut quod Gallicè ſcriptũ mihi offerebatur, abſque interpretis opera utcunque intelligerem, periculum faciendum putaui, an idem in Latinum ſermonem à me trãsferri poſſet, necne: idque duplici de cauſa, cùm ut ea occaſione ſingula uerba exactius apud me ponderarem, & genuinam illorum ſignificationem diligentius inquirerem, eóque exercitio eius mihi linguę uſum citius compararem: tum uerò ut ſimul in Latina me nonnihil exercerem. Iubet enim Cicero, inter Latinos ſcriptores facilè princeps, ut qui Latinũ ſermonem, uel alium quemuis, reddere ſibi cupit familiarem, laborem hunc, ex una in aliam linguã aliquid uertendi, ne refugiat. Porrò in manus inter alia mihi uenit Oratio quędam dẽ Pace, nuper Gallicè adeò eruditè à quodam conſcripta, ut nõ immeritò digna cenſeatur, quæ multoru in manibus uerſetur. Habet enim argumenta ad paci conſulendum grauiſsima. Eam ipſe exercitij cauſa Latio donaui. Et quãuis me non latet, tralationem magis adhuc rudem eſſe, quàm ut in doctiſſimorum huius ſeculi cõſpectum prodeat, adductus ſum tamen amicorum quorundam ſuaſu, ut

typis excudendam permiſerim. Tuæ autem Celſitudini, Princeps illuſtriſsime, cùm ideo dicare eam uiſum eſt, quòd eius argumentum tale ſit, quod ad magnorum principum deliberationes præcipuè ſpectat (ſiquidem ad hoc populorum gubernationem principes viri à Deo ſibi cōmiſſam habent, ut pacem in terris procurēt, in eáque ſubditos piè & honeſtè uitam agere imprimis efficiāt: ad quod C. T. illuſtriſſimam animo propendêre omnes antiquiſſimi iuxta ac nobiliſſimi regni Sueciæ incolæ, ſibi non minus gratulantur, quàm quòd nomen in Anglicana illa legatione, qua ſapientiſſimè prudentiſſiméq; nuper defuncta eſt, ſibi tam celebre comparauerit, nulla ut uetuſtate id obliterari queat) tum ut cùm ſingulari me clementia & fauore eadem tua Celſitudo illuſtriſsima hactenus ſemper complexa ſit, intelligeret ſuum fauorem non infœliciter collocatū, ſed in eo repoſitum eſſe, cui uitium animi ingrati ſemper uiſum eſt turpiſsimum fœdiſsimúmque. Et quidem cùm referendi beneficij ratio multiplex ſit, grati certè animi ſignificatio pars quædā remunerationis à prudētiſsimis hominibus ſemper exiſtimata eſt. Quocirca, ut cùm tuæ Celſitudini, tum aliis teſtatū facerem, beneficia me grata mente recolere, ob eáque ad omnia præſtanda obligatum me reuerenter agnoſcere, quæ pro mea qualicunque tenuitate ſubire poſsim, laborem

hunc, licet in ſpecie tenuem, Celſitudini tuæ illuſtriſsimæ adſcribere uolui, quem ut cleme͂ter accipiat, boníque conſulat, necnon me, ut hactenus cõſueuit, gratia & fauore proſequatur, perquàm humillimè peto. Datum Lutetiæ decimo octauo Calendas Auguſti, Anno Chriſti ſupra milleſimum quingenteſimum ſexageſimo.

S. T. C.
addictiſſimus
Martinus Helſingus.



ORATIO DE PACE, DE'QVE EAM RATIONIBVS RETINENDI:

Item quòd nulla sufficiens causa sit, cur nominis Christiani Principes arma aduersus se mutuò sumant: ad illustrißimos, necnon potentißimos, Henricum & Philippum, Galliæ ac Hispaniæ Reges, in vltima belli transactione Gallicè conscripta & habita à G. Auberto Pictauiensi, in Curia Parlamenti Parisiensis Aduocato, in Latinũ verò idioma nuper à Martino Helsingo tralata.



Vltis fortè mirum uidebitur, illustrißimi Reges, quòd solus ego ex omnibus supremæ huius Curiæ Aduocatis, in cõspectum uestrarum Maiestatum nunc prodeam, ut gratias uobis, subditorum uestrorum nomine, pro Pace, quam eis concesßistis, reuerenter agam, eadémque opera suppliciter à uobis petã quò in ea illos fœlicitate postmodum conseruetis. Verùm enimuerò si quis perpendat, quòd antiquitus mei ordinis homines, tam ad persuadẽdum, quàm ad dissuadẽdũ, quoties res aliqua grauior & periculosior incideret, semper primi surrexerint, uidebor fortaßis in hoc ni-

hil alienum mihi usurpasse, neque officij limites usque-adeò excessisse, præterue officiũ quid fecisse. Etenim qui *à teneris annis in priuatis rebus cognoscendis ita sese exercuerãt, ut illarum plenã adepti uideãtur cognitionem, cùm tamen propter malitiam & dolum siue versutiam illorum, qui eas tractant, ualde sunt obscuræ & intricatæ, illi non possunt non esse bene instructi ad publica negotia intelligenda, quæ multò sunt faciliora, utpote, quæ à* Principum *dißidiis proueniant, qui minimè consueuerunt dißimulare, iúsue suũ iudiciariis illis formulis intricatum reddere, uerùm qui eo nitantur, quod iustum ipsis uideatur, sperantes armis illud æquũ se habituros, quod aduersaria illorum pars sua illis sponte dare recusat.* Deinde *si consideretur, quòd qui ad negotia publica tractanda adhibentur, sæpenumerò professionis meæ homines ad priuata sua negotia discutienda accersant, plenã in omnibus illis fidem attribuentes, nulla amplius superererit causa, ob quã mihi temeritati uertatur, quòd postquam plurimos annos publicè ad priuatorum commodum & utilitatem loquẽdo me exercui, ad publicam etiam commoditatem publicè meum nunc officium exhibeam, palàm gaudium illud testificãdo, quod ex communi omnium lætitia percepi, quæ plurimos sanè usqueadeò commouerat, ut in uitæ periculum non pauci eius causa deuenerint, si fides illis habeatur, qui aiunt, non minus periculosum esse gaudium uehementius, quàm dolorem extremum.* Imo *& ipsemet,* Reges *potentißimi, qui aliâs tamen adsueui ob res lætas uel*

aduersas, quæ possunt huic uitæ mortali obtingere, quã minimùm commoueri, ita sum in præsentiarum gaudio affectus, ut orationem subditorum uestrorum nomine ad uos habiturus, mãdatũ huiusce rei ab illis vix ullũ expectarim, quanuis certus sum ratum illos quod ago habituros. Deinde *in causa adeò ampla, in qua multò facilius est principium, quàm finem, reperire, haud cõmodè scio unde hæc ducatur oratio, & multo adhuc minus qualis exitus sit futurus, nedum quibus argumentis audiendi à uestris* Maiestatibus *beneuolentiam mihi cõciliem.* Noui *enim eiusmodi* Regibus *esse aures (qui ob maiestatis splẽdorem non putantur ex communi illo ordine naturæ esse, ex quo reliqui sunt mortales) ut unicuique satisfacere perquàm sit difficile, præsertim uerò illis, qui inter nostros magistratus educati, perpetua quadam cum libertate, quod propositæ causæ commodum & aptum, & non quod auditoribus iucũdum uel delectable uideatur, dicere consueuerunt.* Expertus *es autẽ,* Rex *Christianissime, satis, ut coniectura auguror, quòd* Galliarum Rege *nihil dignius sit, neque* Gallis *aptius, quorum ob id patria, &* Gallicum *nomẽ, solidam quãdam spirãt libertatẽ, quã sermones liberi & ingenui, ut non tam spectetur quid auditu gratum, quàm quid factu sit utile ac necessarium.* Nam *etsi non rarò malam ineant gratiam, & asperius reiiciantur, qui mala, quæ futura prospiciunt, maturè corrigere student, quàm qui spreto salutari consilio, ea postmodum committunt: vir tamen cordatus, qui potentiorum fauorem non nisi sola*

uirtute uenatur, nunquam intermittet, quin sententiã, de qua certus est, liberè dicat, sola suorum dictorum ueritate aduersus omnium cõtrarias opiniones facilè munitus, potius existimans omnem futuri commodi spem amittere, adeóque suam ipsius uitam periculo exponere, quàm debitum officium, quo omnes homines tam Reip. *quàm propriæ famæ propugnãdæ, tenentur, deserere.* Ac *profectò quemadmodũ bonus medicus ad corporis morbos ritè curandos ex officio tenetur, prout morbi exigit qualitas, acria interdum adhibere, etiamsi minus patienter eiusce modi curationis modum ferat ægrotus: ita in animi morbo sanando, constanter & liberè ægritudinum causas & occasiones arguere nos oportet, atque simul ostendere, quòd non tam fiat ad eum reprehendendum, ad quem nostrum dirigimus sermonem, quàm ut sui eum officij commonefaciamus, inque rectã uiam, si ab ea fortè aberrauerit, reducamus.* Q*uãquam nihil minus sit, quàm ut quid habeam, quod aliqua nũc reprehẽsione dignum uideatur, ob quam in alicuius me odium incursurum uerear, quin potius econtrario in magna cõstitutus sim difficultate, ut ostẽdam, atque planum faciam, quot laudum præconia promeriti sint, qui nobis hanc pacem tantoperè expectatam, tantoperè desideratam, procurarunt: deinde,* Deo *omnium bonorum authori, & uobis,* Reges *inuictissimi, gratias agam, qui non grauatim de armorum rigore, ut communi tandem paci consuleretis, remisistis: necnõ & generosis* Princi*pibus ac dominis, qui ad finem eam adeò fœlicem,* De*óque*

& hominibus pergratum, perduxerunt. Verùm de pace uerba facturo mihi obiicere hìc quidam uidentur, sermonem instituere me de re propemodum superflua, adeóque nimium vulgari, puta quæ nemini non anteà satis cognita sit: illis aliud non respondendum arbitror, quàm uniuersum Christiani orbis circulum in magno futurũ gaudio, si uerè hæc ab illis dicantur, sítque de pace tractatio adeò uulgaris & trita, nullus ut eam Princeps ignoret. Sunt sanè quamplurima, de quibus splendidè quis loqui, prolixè sermocinari, & suum ostentare ingenium non exigua cum laude potest: quemadmodum non paucos etiam hactenus audiuimus, de bello ritè gerendo prolixè satis uerba fecisse: pacis uerò, rationísque eius conseruandæ, quò principalis orationis nostræ scopus tendit, superfluos fuisse habitos sermones, credo equidẽ neminem è uestris subditis, Reges illustrissimi, conquerentẽ uos audiuisse, neque eiuscemodi de pace sermones uestræ aliquod detrimentum Reipu. attulisse, nedum uos ipsosmet in aliquod uitæ periculum coniecisse, cultúmue diuinum diminuisse, aut religionis statum ulla in parte disturbasse. At non usque adeò demiror, de pace me uerba facientem à nonnullis notari ac reprehendi, quàm illud iam pridem sum admiratus, ut alios omittam, quibus hoc æquè ab initio statim fuerat admirationi, quòd tu, Rex Christianissime, tam magni, támque florẽtis regni uiribus subnixus, tot illustribus principibus comitatus, stipatúsque nobilitate adeò generosa, nationes extraneæ, Europæ & Asiæ, quem tot suspiciunt, uenerantur,

inque maximo habent honore: quem præterea subditi tanta prosequuntur obedientia & amore singulari: terra denique marique Rex adeò potens, tot ciuitatum dominus, necnon hominibus diuitiisque tantum abundans, quantum unquam necessitas requirat, animum ad honestas pacis conditiones adieceris: cùm præsertim quasi indignum tua maiestate, titulóque Regis Christianissimi, uideretur, tuos subditos: uerũ quid dico tuos subditos? imò totam potius Christianitatẽ, paci & dulci concordiæ restituere. Quod porrò Ethnici olim uerum ignorantes Deum ad eos solùm pertinere de pace loqui arbitrati sunt, qui reliquis essent debiliores, id ad eos profectò nunc spectat, qui spiritu sancto sunt inspirati, Deóque prępotẽti præ reliquis accepti magis. Deinde, quemadmodum nec tu, Rex Christianissime, nec tui maiores, aliquem regem uobis superiorem ulla in re unquã passi estis, ita nec in pace danda Catholicus te ut anteuerteret permisisti: ídque non tam ob priuatum tuum aliquod commodum, quàm ob communem Christianæ Reip. utilitatem. Siquidẽ è duobus uobis, Reges fortissimi, omnium mũdi partium, quàm latè se Christianismus extendit, tranquillitas & fœlicitas ferè dependebat. Parentes uestri ob mutuas dissensiones triginta hisce annis elapsis absque ulla intermissione omnes suas uires, & neruos in hoc impendebant, quò mutuo se bello conficerent, nec nisi pauci àdmodum ex illorum regnis Christiani fuerunt, qui calamitatum illarum, quæ ex continuis illorum dissensionibus proueniebant, non facti

ſunt participes. Nam *uel tu imprimis,* Rex *Chriſtianiſſime, abundè oculis contemplatus es, quale toti mundo ſpectaculum, durãtibus illis bellis, exhibuerũt: cùm ſingulis propemodum diebus nihil aliud uiſum ſit, quàm urbes euerti, caſtella & uicos incendio abſumi, imperij fines deuaſtari, adeóque integram interdum regionẽ depopulari, inque deſerti formã redigi, ita ut nullus in ea auſus ſit prodire, conſpiciendúmue ſeſe præbere, non aliter quàm in uaſta ſolitudine, quæ ferarum beſtiarũ metu deſerta iacet.* Interea *temporis principes iã in hoc iam in illud intenti, ſuos exhauriebant atque profundebant theſauros,* Eccleſiaſticos *non abſque magno animi dolore de decimis moleſtabant, ruſticos tributis, ciues nouis exactionibus, affligebant.* Et *præter hæc omnia, poſtquam plurimũ ſanguinis utrinque effuſum eſt, deprehenderũt tandem, parum, aut nihil prorſus, alterum alteri ademiſſe.* Ita *proprio exemplo ſunt teſtificati, magnorum* Regum *cõſilia & molimina tam exiguum ſæpenumerò ſortiri effectum, quàm aliorum inferioris ſtatus hominum conatus.* Adhæc, *ſerpentibus hiſce communibus malis, quibus ipſi ſe implicabant, & dum cũcta ad ipſorum fierent imperium, ſubditi in principum ſuorum abſentia ueteris obedientiæ obliti, occaſionem rerũ omnium euerſioni præbuerunt.* Iuſtitia *nanque, quæ columna & baſis eſt omnium rerumpub. ob horribiles bellorum motus uacillante, & tantoperè langueſcente, vt illi difficillimum, atque adeò propemodum impoſsibile eſſet, aliquam retinere diſciplinam & obedientiam, nõ*

alia de re vulgò sermo habebatur, quàm de hostium incursionibus, rapinis, latrociniis, sacrilegiis, homicidiis cõsultò & præmeditatò perpetratis, déque honestarum & pudicarum matronarum cõstuprationibus, uirginũ uiolatione, & earum, quæ diuino cultui dicatæ fuerãt, raptu, necnon aliis scandalis, & execrandis sceleribus, quæ mente solùm complecti admodũ foret difficile, nedum uerbis exprimere. Animaduertisti insuper, Rex *Christianissime, quòd præter omnia hæc incommoda iã enumerata, ex bello etiam prouenerit insignis &* Dei *&* Christianæ *religionis contemptus, itẽ aduersus magistratum inobedientia, in unumquemque impietas, bonarum literarum deplorandus interitus, in iuniorũ pectoribus effrænis quædam audacia, & temeritas immodica, in senioribus uerò dolor & animi cruciatus immẽsus, eò quòd ad tempus illud usque tam triste & lamẽtabile uixerint, quo contra naturæ ordinem sæpè coacti sunt, durante ipsorum uita, charissima liberorum corpora sepelire, abs quibus id officij potius erat expectandũ.* Et *tamen audiuntur adhuc aliqui,* Rege *Christiano qui indignum arbitrentur, ut quibus hæc mala è suo regno depellat, rationes quærat, suósque subditos quibus onere hoc adeò calamitoso subleuet, occasiones non repudiet. Sed prò* Deum *immortalem, quam commiserationẽ animo sustinuisse uos,* Reges *clementissimi, oportuit, cùm ad singulos propè passus, miseros limitaneos illos uestros subditos, ante* Maiestates *uestras obuersantes, magna cũ difficultate ab incendio, & inimicorũ gladio libera-*

tos, omnibus suis bonis spoliatos, domibus expulsos, in omnium rerum extrema necessitate constitutos, omnibus denique miseriis oneratos, morbis affectos, uagabundos, non aliter quàm aqua & igne interdictos, paupertatis angustia & squalore repletos, pristina dignitate priuatos, nihil præter animam languidam, & in misero corpore ingemiscentem retinentes! Corpus *uerò non solùm fame & inedia tabefactum, sed omni insuper genere calamitatum & miseriarum prorsus afflictum, uidistis? Iam uerò postquã cœlesti gratia inspirati & adiuti, pacem à uobis mutuò obtinuistis, omnia illa incommoda, quæ recensui, cessabunt, uirtus in pretio erit, florebũt bonæ literæ, pauperes ditescẽt, diuites de suis rebus in tuto manebunt, iuniores auxiores fient, prouectioris ætatis homines lætabuntur, urbes euersæ restituentur, pagi antea deserti rursus inhabitabũtur, religio collapsa instaurabitur, principum maiestas suspicietur, magistratibus obtemperabitur, nobilitas in honore florebit, iuuenes in rebus se honestis exercebunt, seniores quod reliquum est uitæ tempus secura cum quiete transigent, Virgines in lætitia nuptui dabuntur, Viduæ in sua castitate securæ uiuent, agricolæ terram absque ullo metu colent, opifices suo in officio tuti laborabũt, mercatores certis hactenus finibus inclusi, terra marique absque direptionũ metu negotiabuntur.* Denique *quod ad uos attinet,* Principes *potentissimi, qui fœlicitatem hanc omnibus orbis* Christiani *populis tribuistis, etsi nulla gratitudinis significatio cũ rebus uestris bene gestis dignè cõparari queat,*

hoc tamen inde commodi estis habituri, ut minus in posterum soliciti sitis de Heluetiis *in uestrã militiam conscribendis, déque tot militum* Germanorum *legionibus, equitumque & sclopetariorum tot horridis cohortibus accersendis, prætereà neque curæ uobis erit, triremes tot in mari semper armatas retinere, nec stipendia tot præsidiariis in terra militibus persoluere.* In *summa, nullus erit cuiuscunque conditionis uel status inter uestros subditos, uel socios fœdere iunctos, qui uniuersale huius pacis bonum non sentiat.* Nec *erunt nisi unius cuiusdam farinæ homines, qui ob bonũ hoc publicum lamentabũtur, scelerati nimirùm, qui suum ex piscatura in aqua turbida commodum hactenus ad tempus quæsiuerant, quique ex publicis calamitatibus priuatæ soliti sunt utilitati studere, tempus nõ amplius rapinæ accommodum habentes præter illud, quo omnia ad miserabilem quandam confusionem nutabant.* Nunc *autem postquã pacis trãquillitas illuxit, omnésque tempestates illas pacauit, necnon profundas elapsi temporis tenebras collustrauit, metuere tandem incipiunt miseri homines, ne quas conspirationes, existente illa belli nebula, occultare potuerant, in pacis nunc lucem prodeant.* Súntque *in simili ferè metu, quo fur solet esse nocturnus, cùm aurorã diei appropinquare uidet, antequam prædam in spelũcam suo destinatam latrocinio detulerit.* I*psos igitur intelligere facite,* Principes *iustitiæ patres, quòd quemadmodum è publicis incommodis illorum prospera dependeat fortuna, ita uicissim ipsorum infortunium è bono*

publico: tempus denique uenerit, quo in apricum crimina protrahātur, uitia manifestētur, errata innotescāt adhibita ea castigatione & pœna, quæ cuiuslibet sceleris magnitudini respondeat. Cæterùm homines probi, qui semper sibi bene conscij fuerant, Deique timorem ante oculos die noctúque piè seruauerant, ualde sunt solliciti, quánam gratiarū actione Maiestates uestras, necnon alios principes uiros in uestris aulis, dignè cohonestare debeant, pro eo quòd hanc à uobis rerum omnium fælicitatem acceperint, quam futuram sibi ex optatissima hac pace præuiderant: nec aliud iam agere possunt, quàm igne ad lętitiam accenso, publicis item acclamationibus, supplicationibus, aliisque, quibus possunt modis, extremum sui gaudij testificari. Súntque gratiarū illæ actiones non quidem quales cupiunt, uerùm quales nunc pro exigua ipsorum facultate exhibere uobis possunt. Et quidem hucusque intellexistis à me, Reges inuictissimi, quòd ab omnibus intelligere hactenus potueratis, nimirū quæ nobis mala bellum, quæque bona pax apportet. Verùm nō ob hoc præcipuè uobis uerba facturus ueni, cùm probè sciam hæc uos multò melius ab ipsa rerum magistra experientia didicisse, quàm ipse possim uerbis exprimere. Sed quidquid hactenus à me dictum est, hoc eò solùm spectabat, mihi ut aditum facerem uobis declarandi, quibus modis pax constituta & conclusa, commodè seruari retinerique possit. Compertum est enim non raro, quòd sicut magni Reges bellum gerere norunt, ita etiam pacem inire cùm opus sit, intelligant:

at semel factam ita seruare, ut ad ueteres querelas non deueniatur, res est profectò nimis rara, & quidem difficilior, quàm quispiã cogitet. Quippe Principes pacem sæpè propterea faciunt, quòd belli sumptibus destituantur, atque eapropter quotidie usu uenire conspicimus, quòd quamprimùm pacis beneficio rem suam aliquantulum auxerint, bellorum mala mox instaurent. Quẽadmodum ex arbore præcisa rami renascuntur quamplures, radice nondum penitus euulsa: ita ex bello, quod pace coacta sopitum est, alia sæpè bella repullulant longè crudeliora, si tempestiuè non prospiciatur, ut omnes malorum occasiones tollantur, ueterésque odiorum scaturigines obturentur, è quibus uelut fonte pestifero priores humores in Principum corda ebuliant, eóque pacto easdem illic contentiones exuscitent, quæ paulò antè uidebantur extinctæ. Neque enim incompertum est, factas esse quamplurimas inter Reges & Principes, ob illorũ dissensiones, huiuscemodi trãsactiones. Nam quoad dissensionum radix non fuerit diligenter extirpata, conueniri quidem publicè pro pace constituenda uisum est, bellum tamen interim secretò parari, necnon eadem tuba classicum cani, qua paulò antè pax proclamabatur. Hìc igitur, Principes illustrissimi, maximis precibus à uestris maiestatibus contendo, me clementer ut audiant, méque ita intelligere dignentur, ut nullũ à me uerbum prolatum prætereat, quod ab ipsis non obseruetur, ac expendatur: uobísque persuadete, Reges potentissimi, me in hac patientiæ & beneuolentiæ contentione non

esse qui loquor, uerùm celeberrimos diuersarum linguarum authores, qui me suo uelut interprete in eo uobis cõmunicando utuntur, de quo alios sæpè Principes ac terræ monarchas admonuerant. Ac primũ quidem minus considerati mihi uidentur, quantumuis sint magni, qui in aliquo corporis morbo sibi uenas mox secari, sanguinẽ è corpore extrahi, suáque membra inuri patiuntur, tãto se periculo huiusmodi pharmacis exponentes, quanta ex his utilitas ad illos accedere poßit: initiò tamen auersantur & refugiũt illas adhortationes, quibus ad eos uti constituerunt, antequam experti sint an eis utiles futuræ sint necne, experimentum quod facilius est, & minimo cum periculo subiri poteſt. Proinde si ueſtris maieſtatibus ad finem uſque benignè me audire non diſpliceat, paucis uobis probare conabor, homines ad bellum natura minimè natos, multóque minus poteſtatem à Deo Opt. Max. *ad arma proruendi concessam esse: usq; adeò ut nulla causa esse poßit quantumuis in speciem magna, quæ* Principem Christianum, *ut arma aduersus alterum sumat, permouere debeat, quin multa alia sint, quibus* Principum *dissensiones componi melius poßint, quàm per periculosam* Martis *aleam, perque incertum sanguinolentæ pugnæ euentum, ubi cæca & inconstans dominatur fortuna, tam citò uictoriam aßignans illi, qui causam defendit iniustam, quàm ei, cui ius suffragatur & æquum: parùm sollicita utrum boni euadant uictores & mali uincantur, uel seccus. Ad extremũ ea etiam commemorabo, quæ doctiores è nostris antecesso-*

ribus in ſcriptis nobis reliquerunt, quibus regna in trã-quillo ſtatu retineri poſſe crediderunt, quorum doctrinam, unà cum rerum experientia, ſi ſequamur, alterum ut alteri iungatur non indignum comperiemus. Vt igitur rem aggrediamur, ſupplex à uobis peto, Reges potentiſsimi, ante omnia apud uos animo cõſideretis, quomodo in hunc mũdum hominem naſci Natura uoluerit, an talem illũ produxerit proximo ut bellũ inferat. Siquidem, cornuá ne ei atque tauris furioſa, aut ungues acuti ut leonibus, aliúd ue munimen terrificum, uelut apris, ab illa conceſſum eſt? Aut longa & forti ne proboſcide illum tanquam elephantos armauit, uel duris & ferreis ſquamis ut crocodilos, dentibus uenenatis ut aſpides, aut uenenifero aculeo ut ſcorpiones, aſpectú ue mortifero ut baſiliſcos? Certè harum omnium belli & feritatis notarũ loco benigna mater Natura homini dederat membra nuda, delicata, abſque ullis armis: faciem prætereà mitem, & benignam: corpus erectum beneq; proportionatum, oculos uenuſtos & amoris conciliatores, vocem gratam & iucundam elargita eſt: brachia in longũ, ut amore ſincero beneuolentiaq́ue mutua proximum complecteretur, protraxit: oſculi denique ſenſum attribuit, quo unius quaſi anima alterius ſe iũgeret ac copularet: vocem quoque in uſu uerborũ diſtinctam, ut amica petitione, abſque ulla ui uel coactione, ab altero, ſi cuius indigeret, impetraret. Rationem deinde & iudicium addidit, ut temerè ne quid ſuſciperet, alteri ue faceret, ſibi quod factum nollet. Solitudinem ut auerſa-

retur, ſocietatem uerò diligeret, effecit. Ornauit illum *inſuper ſcientiarum bonarúmque literarum intellectu capaci, quæ ut homines ab omni barbarie & feritate abducunt, ita etiam conſtanti & firmo illos amicitiæ uinculo copulant, quæ in perpetua mutuáque illos deinde beneuolentia conſeruat.* Dona *diſtribuerat denique unicuiq; uſqueadeò pretioſa, uaria, & omni digna admiratione, peculiarem uel corporis uel animi præſtantiam, aut ad minimum aliquid amore dignum, iam eo, iam alio modo: ut difficillimum, adeóque impoſsibile ſit, quempiam reperire, qui ob* Naturæ *donum aliquod ſingulare in ipſa natiuitatis hora perceptum, non diligatur, acceptúſque habeatur.* Ad *hæc omnia dederat homini prudens ac ſapiens* Natura *etiam riſum ad animi lætitiam teſtificandam, lachrymas ad denotandã miſericordiã, cõmiſerationem, & dolorẽ ex amici rebus aduerſis contractũ.* Credo *equidẽ,* Reges *clemẽtiſsimi, ꝙ poſtquã diligenter animo cõſideraſtis qualem nunc uobis hominem depinxi, cõcluſum uos apud uos habere,* Naturam *ad pacem colendam hominem produxiſſe, non ad bellum: ad mutuum amorem, nõ ad odium: ad beneuolentiam, non ad ſimultatem: ad concordiam, non ad diſſenſionem: ad comitatem, non ad duritiem: breuiter ad auxilium proximo ferendum, uitámque illi conſeruandam, non ad eius ruinam & interitum.* Cæterùm *antequam finem huic noſtro ſermoni imponam, uos rogo,* Chriſtianiſsimi Reges, *diem uobis aliquem, quo bellum inter uos peragebatur, proponatis, atque huiuſcemodi*

facti speciem animo concipiatis. Quid si bona hæc dea Natura, *omnium mater & parens, ex angulo tum aliquo nemoris in duorum inimicorum* Principum *exercitu contemplata fuisset, homines tot armatos, tot sagittarios, tot leuioris armaturæ equites, tot peditũ cohortes ex* Gallis, Hispanis, Italis, *milites tot caligatos, tot* Heluetios, *tot itẽ equites loricatos seu cataphractos, tot sclopetarios, bombardarios, lancearios: armaturas illorum deinde micantes, facies pallidas & semianimes, incessus furibundos, oculos ardẽtes & scintillantes: tympanum posteà audiuisse sonare, classicum cani, tuba signum dari, unóque demũ impetu terrificum illud fulgur è machinis æneis, sclopetis & bombardis displodi: mòxque prælantium conflictus, hastarum confractiones, lãcearum collisiones: deinde horribiles illos vulneratorum clamores, cadentium gemitus miserabiles: terram denique totam sanguine conspersam, coopertâmque corporibus in furoris concursu interfectorum, ubi nec occisus nec occisor se mutuò unquam anteà uiderant, tantum abest alter ut alterum uel unico uerbo offenderit.* Ecquid *dictura fuisset hæc bona mater, si triste eiusmodi spectaculum fuisset contemplata? vsá ne fuisset iustißimo iure hisce*
„ *uerbis aut similibus? Quæ monstra, quæ spectra, quos fu*
„ *rentes ita & rabiosos ad mutuò se conficiendos uideo?*
„ Credibilé *ne est quòd sint homines illi, quos ipsa forma-*
„ *ui, educaui, enutriui, ad hoc solùm ut se inuicem ama-*
„ *rent, diligerent, iuuarent? Quis malus genius ipsos adeò*
„ *dementauit, furiosos & planè mente captos effecit?* De

» *quónam inferni baratro hæc tam infœlix belli pestis e-*
» *rupit, quæ pulcherrimum meum opus miserè adeò fœ-*
» *dauit, corrupit ac deformauit? Quæ saga creaturarum*
» *harum animos in tantum incantauit, ut inter omnes ter*
» *ræ bestias ne unam conspicer, quæ minus hominis nomē*
» *mereatur, si ad istos conferatur? V tinam bellatores fu-*
» *riosi in speculo contemplari uos, unà cum rebus uestris*
» *gestis, totóque habitu possetis. At in quem usum uobis o-*
» *culi proderunt, si ingenium uobis desit? Considerate, uos*
» *rogo, quantū hac in parte, comitate nimirum & beni-*
» *gnitate, feræ uobis bestiæ præstent. Neque enim magno*
» *grege congregari illas unquam uideas, ut mutuò se con-*
» *ficiant, & suam in uniuersum speciem deleant, quem-*
» *admodum uos facitis. Ah quomodo in animum unquā*
» *inducere potuistis, uestras ut manus eius sanguine cruēn*
» *taretis, qui nunquam uos, ne in minimo quidem, re uel*
» *verbis, offenderat? Eia, eia, pergite igitur in uestro furo*
» *re, quoad libuerit, posteáque conqueramini, nimis bre-*
» *uē me uobis uitā dedisse: uos, inquam, qui tot homicidiis*
» *tantáque sanguinis effusione, in hoc præcipuè incumbi-*
» *tis, quātum in uobis est, uitam uobis quam dedi, ut ab-*
» *breuietis, & finem dierum uitæ constitutum crudeli &*
» *horribili morte acceleretis.* V*sa fuisset proculdubio*
sapiēs ac prudens rerum architectrix Natura *hisce simi-*
libús ue comminationibus, ut omnibus planum faceret,
se non esse, quæ bellum hominibus suadeat, quin potius
omnibus modis illud ipsis prohibeat, uelut pestem, atque
operum suorum pulcherrimorum internecionem irrecu

perabilem, necnon creaturarum, quas cæteris illa pulchriores præstantioréſque in hoc mundo produxerat, uenenum peſtilentiſsimum. Sic elementa ordinauit, ut quanuis qualitatibus inter ſe maximè diſsideant, certam nihilominus inter ſe harmoniam teneant, ut unà pulcherrimam hanc mundi machinam in integro ſuo conſeruent ſtatu: quemadmodum aqua licet igni ſit cõtraria, & terræ grauitas aëris leuitati, ſunt tamẽ certæ pacis leges inter ipſa conſtitutæ, quas fideliter obſeruãt, ut nullum quid aduerſus aliud præſumat, aut tentet. I*dem conſpicitur in cæleſtium corporum motibus, quorum quædam ſuos habent motus ab oriente in occaſum, alia econtrariò ab occidente feruntur in orientem, cum alio quodã motu, puta, trepidationis, quem ultimò mathematici obſeruarunt, ita ut in contrariis hiſce itineribus nullum committatur bellum, nulla diſſenſio, quin omnes cælorum & planetarum ſphæræ ſuum accuratè obſeruent ordinem, & leges, quas à principio illis* Natu*ra ſtatuit & aſsignauit, nulla illarum neglecta uel interrupta.* V*ſqueadeò ſollicita & ſtudioſa fuit rerum natura, quò omnia, perpetua quadam pacis obſeruatione, quam ab initio creationis illis indiderat, concinna quadam harmonia, integra permanerẽt.* Porrò *ſi bellum hominibus* Natura *prohibet, Deus* Opt. Max. *pacem ſæuerius mandat ac præcipit, id quod uel ex eo planum fit, quòd ipſemet filium ſuum unigenitum, ſaluatorem & redemptorem noſtrum* I*eſum Chriſtum, in mũdum hũc mittere uoluerit, cùm pax iam eſſet uniuerſa-*

lis per totum mundum, & non eo tempore, quo Græci, Romani, P*erſæ*, P*arthi, & aliæ nationes, belli tumultibus graſſabantur, modò illi ex* Europa, *modò hi ex* A*ſia &* Aphrica. A*rgumento prætereà nobis erit, quantoperè pax* Deo *grata ſit, quòd ſacroſanctum ſuum* Euangelium *in pace ab hominibus recipi uoluerit, non armorũ coactione uel ui, cùm crudeles bellorum motus dulcis* Euangelij *prædicatio ſubſecuta ſit.* Adde *quòd nihil diuina lege magis nobis præcipiatur, quàm proximi* Amor, Charitas, Concordia, *atque alteri ne quid aliud faciamus, quàm ab eo nobis fieri uolumus.* Quemadmodum *igitur & uerbum* Dei *ſacroſanctum, necnon opera* Dei *uniuerſa, nihil nobis tam præcipiunt, quàm pacem: ita homini* Chriſtiano *nihil contrarium magis, quàm bellũ.* V*erùm quia hic locus,* Reges Chriſtianiſsimi *& catholici, ab ipſis* Theologis *uobis commodius explicetur, pauca ſolùm ad ea quæ dixi, adiiciam, hoc eſt ut à ueſtris* Maieſtatibus *petam, animo apud ſe concipiant,* Villagagnonem *in* Gallia Antartica *hirſutum ſeu hiſpidum aliquem ex terræ illius ſyluicolis nutriuiſſe, qui poſtquã magno & diligenti ſtudio & labore in fide* Chriſtiana *utcunque eſſet inſtitutus, déque mutua dilectione, patiẽtia, & aliis uirtutibus homini* Chriſtiano *competentibus, plurima audiuiſſet, miſſus tandem fuerat in ueſtra proximè ad* Amianũ *caſtra, ubi maiores, adeóque uniuerſæ propemodum* Chriſtianitatis *uires ſub ueſtris ſignis collectæ erant, necnon utriuſque exercitus non longius quàm ad quinque uel ſex miliaria ab inuicem di-*

stabat. Si, inquam, occurisset matutino tempore, uitam Christianorum cognoscendi cupidus & curiosus hic syl uicola, duobus illis exercitibus ea rabie & furore congredientibus, quo anteà ad Rantinum *sunt congressi, cogitandum uobis relinquo, num nouus Christianus hic syluicola, inter homines* vix *dum uersari adsuetus, déque sua fide non usqueadeò adhuc confirmatus, hunc in modum ne secum fuisset locutus, imò plena uoce in publicum exclamasset?* Iine *Christiani sunt, de quibus* Villagagno *tanta cum laude in saltibus mea patria locutus est?* Hæccine Charitas *illa, quam tantoperè mihi commendauit, quam seruare illos uideo, multò se crudelius inuicem interficientes, quàm ferociora in nostris mõtibus ulla animalia?* Habent *profectò, si* Diis *placet, per bellam reprehendẽdi nos occasionem, quòd homines extraneos interdum nos deuoremus, cùm illimet seipsos usqueadeò dilanient, ut à canibus & coruis posteà deuorentur.* Nobis *concionantur de* Deo *cæli conditore, & à furiis infernalibus se interim agitari permittunt.* Nos *ad uitam æternam consequendam sedulò hortantur, ipsi tamen interea temporis nihil nisi mortem sectãtur & spirant.* Aiunt *totam in* Deo *fiduciam habere nos oportere, ipsos nihilominus in hominibus suam habere spem collocatam animaduerto.* Christum *adserũt suo ipsos pretioso sanguine ab æterna morte redemisse, sanguinem illi nihilominus audacter eius effundunt, quem* Christus *sui sanguinis effusione redemit.* Deum *communem omnibus patrem nominant, & tamẽ adeò*

» *tioso præditi sunt animo, ut se fratres mutuò horribiliter*
» *interficiant. Crucem in redemptionis suæ symbolum*
» *gestant, eandémque in signis & uexillis ferunt, quibus*
» *ad miserandas* Christianorum *cædes perpetrandas du-*
» *cuntur.* Deum *precantur ut panem illis det quotidia-*
» *num, interim ipsi & agros & segetes incendio uastant*
» *ac deperdũt.* A Deo *precibus flagitant, peccata sibi cõ-*
» *donari, quemadmodum aliis in se commissa ipsi remit-*
» *tunt, eodem ipso tamen temporis puncto nulli rei magis*
» *inuigilant, quàm ut alium offendant, saucient, truci-*
» *dent. Egregiam me* Hercule *operam præstitisti* Villa-
» *gagno, cùm in naues me tui* Regis *imponeres, ut ex locis*
» *tam remotis ad videnda hæc pulchra spectacula ueni-*
» *rem.* Quanuis *puto te uerius huc me ad tuos* Christia-
» *nos duxisse, mihi ut spectaculo forent, quàm ut bonum*
» *aliquod apud illos exemplum uiderem.* Equidem *plures arbitror, uera eum dixisse, postquam hisce uerbis aut similibus syluicola fuisset usus, atque eapropter magis laudandum, quàm ob mendacium aliquod reprehẽsione dignum, tacitè apud se affirmaturos.* Ad *me igitur quod attinet,* Reges *clementissimi, integrè assecutus sum, quod initiò mihi proposui, si* Maiestatibus *uestris persuasum sit,* Deum *nullo pacto hominibus, ut bella moueant, quæ ipsa prohibuit* Natura, *permittere.* Nũc *amplius nihil superest, nisi ut breuiter commemorem, an aliquæ sufficientes causæ inueniantur, quibus* Christiani, *ut bellum sibi mutuò faciant, niti queant: deinde an vllæ ne mitiores rationes ad dissidia componenda haberi*

queant, ubi ſimul obiter, quid commodi ex ſuis diſſenſionibus Chriſtianitas *receperit, uidebimus.* Prima *autem, necnon magis occulta bellorum cauſa eſt* Ambitio, *& cæca regnandi imperandíque cupiditas, qui inordinati affectus cùm diuerſimodè ab ipſis principibus tegãtur & occultentur, ſæpè illos ad ſubditorum quietem turbandam, atque ipſam pub. tranquillitatem in horribilem confuſionem, plenam miſeriarum & incertitudinis, permutandam exuſcitant.* Ac *proinde ingenuè fateor me neſcire, quónam ſpiritu agitentur, ferantur, rapiantur, quandoquidem parùm adeò* Dei *recordentur, hominéſque tantoperè nihili faciant.* Nam *ſi animo cogitarent,* Chriſtianam *legem nequaquam illis permittere, vt nomen* Chriſtianum *ad hoc ſibi vſurpent, quò ſtultæ ſuæ cupiditati aliorum* Chriſtianorum *ſanguinis effuſione ſatisfaciant, perſuaſum apud me habeo, potius quieturos illos, quàm iniuſtum aliquod bellum moturos.* Deinde *ſi ipſa lex* Dei *reprimere ipſorum ambitionem nequeat, aſpiciant ſaltem aliorum potentiam & uires.* Neque *enim ulla gens eſt hac noſtra tempeſtate, quæ, quantum bonum ſit libertas, & è contrario quæ miſeria ſeruitutis, ignoret.* Nullus *prætereà ſui iuris princeps tam exiguæ potentiæ eſt, nec ulla ciuitas adeò parua, quæ ſuam non conetur libertatem defendere, regionis fines accuratè muniẽdo, & alios in fœdus adſciſcendo, ordinem denique in rebus adminiſtrandis apprimè ſeruando, nec ullas occaſiones, quibus bene conſtitutus* Reip. *ſtatus in ſuo uigore retineri, atque iniuſta*

inimi-

inimicorum inuasio commodè repelli queat, negligendo. Perpendite, uos rogo, Christianissimi Reges, quomodo omnia mundi regna etiam debiliora, minores item in mundo respub. ita bello assueuerint, nihil ut fugere illorum scientiam & prudentiam possit, adeò ut nullus fere sit, qui non promptior & paratior inueniatur ad alterius bona inuadenda & occupanda, quàm ut suo contentus uiuat, nedum facilè ferat, ut quispiam de suis terræ dominiis quid usurpet. Imò uos ipsimet, Reges inuictissimi, postquam bellum uobis uestri parẽtes quasi successione quadam hæreditaria reliquerunt, abundè præteritis hisce annis, experientia didicistis, quàm rarò uestræ uoluntati consiliorum exitus responderint. Siquidem uictoria non minus in unam se partem, quàm in alteram inclinans, euidenti documento uobis fuerat, magnos Regum conatus sæpè perquam exiguum effectum sortiri. Contenti igitur rebus præsentibus estote, inque memoriam quotidie uobis res ueniant præteritæ, necnon dies noctésque illorum apud uos exempla meditamini, qui, eò quod implendæ insatiabilis cupiditatis spe regi se passi sunt, nihil unquam minus quàm suarum cupiditatũ finem adepti sunt, quin incerta spe maiora acquirendi ducti, diuitias suas certas & firmas in discrimen adduxerint, atque ità tandẽ coacti se pares illis in pace exhibere, quos bello superare nequiuerant. Hic etiam sciens ac prudens multorum principum historias omitto, qui cùm noua dominia sibi acquirere conati sunt, sua propria amiserunt, illorum sæpè facti mancipia, quorũ

domini esse uoluerunt, atque eapropter maiorem uitæ partem in miserabili quadam seruitute peregerũt, quòd honesta libertate contenti uiuere noluerint. Proinde *si animo non prorsus otioso quis secum hæc cogitet, nimirũ quantoperè* Deus Opt.*max. imprimis ambitionis uitiũ odio prosequatur: deinde quàm idem hominibus sit ominosum & detestabile: denique quòd rerum euẽtus nusquam minus, prout nos uolumus, quàm in bello, quod iniusta ut plurimùm dominandi cupiditate suscipitur, procedat, fortè suo in posterum quantumuis audax contentus erit, aliorum ut bonis auarè minus inhiet.* Et *ut finem huic de ambitione materiæ faciam, experientia sæpenumerò compertum est, hodie admodum difficile esse, principem aliquem, quantumuis potentia & uiribus inferiorem, eò quòd reliquam mox mundi partem ad iustum sibi ferendũ auxiliũ cõuocet, ui subigere: & difficilius adhuc, æquè potentem seu parem uincere: multóque periculosius, aduersus se potentiorem bellum aliquod suscipere.* Est *porrò & aliud quoddam belli genus, quod ad uindictam solummodo exerceri solet,* Deó*que propriè competit, quo interdum permiserat* Deus, *ut principes, qui primò leuem aliquam iniuriam ulcisci uoluerunt, posteà coacti sint aliam ferre longè grauiorẽ, atque ita plus sibi mali per hoc inferentes, quàm suis parauissent inimicis.* Et *quanquam iniuria interdum adeò magna & atrox esse posit, ad uim ut eius ulciscẽdæ gratia recurrere necessum sit, prudenter tamen prospiciendum & cauendum erit, ne armorum furore illam*

ulciſcentes, complures alias iniurias illis inferamus, qui prioris non fuerant conſcij, nedum authores. Siquidem *uſu ſæpiſsimè uenit, ut maiora belli incommoda in eos cadant, qui minus ea promeruerunt, ut ſunt agricolæ, illorum uxores, infantes, & cæteri eiuſdem farinæ homines, qui cùm pacis tempore non admodum commodè uitam agunt, ubi bellum uiget, extrema quæque patiũtur. Quod uerò ex bello commodum prouenire conſueuit, hoc eſt, præda, rapinæ, latrocinia, in illorum recidũt ingluuiem, qui ad prædãdum ſunt paratiores, atque ad excurſiones & latrocinia exercenda exercitati magis, quique bellum conſultò alere, & promercalem militiam potius quæſtui, quàm decori, haberẽ didicerant: propterea quòd non meliorem habituros ſe conditionem ſperent, quàm ubi rempub. ſeditionibus turbatam, necnon fortunam inſtabilem, triſtique naufragio præſens imminere periculum, uideant. Ipſi deinde Principes, atque alij imperium in reliquos exercẽtes, ut plurimùm poſt principia manentes, ſuam ſub tẽtoriis uſitatam magnificentiam oſtentant, in eos miſeriarum & calamitatum onus facilè reiiciẽtes, qui ſe ipſis opponere nequeũt, nec ullam belli occaſionem præbuerunt. Sed obiiciet hìc fortè aliquis, non decere principem virum, ut ad uicini, cognati, uel fœderati alicuius principis iniuriolas, quantumuis leues, cõniueat. At, Deum immortalem, quantũ ut ſe demittat ac abiiciat opus eſt, cùm aliorum auxilia inuocare, imò precibus impetrare, aut ad minimum turbam quandam barbarorum, hominum perditorum,*

prædonum, parricidarum, homicidarum, depopulatorum, conquirere per suos legatos cogitur? Nam huiuscemodi homines, humanum effundere sanguinem adsueti, existimantur satis apti ad faciendas belli executiones. Huc deinde accedit, quòd fortis ac strenuus hic iniuriarum uindex, in tantùm se demittere non rarò cogatur, ut necessarium illi sit talibus terræ fæcibus abblandiri, atque aureorum montium pollicitationes facere, quæ regulariter adulationem comitantur, atque tādem effectu idem complere, quod adulandi animo promiserat, præcipuam thesauri & pecuniæ partem inter eos effundendo, quam è pauperum subditorum sudore conquisiuerat: ac horum denique peregrinorū potestati & gratiæ se totum committere, non aliter ac si probitas & animi illorū integritas usqueadeò hominibus esset probata ac commendata, quemadmodum cognitæ sunt illorum depopulationes & querimoniæ, à miseris agricolis deploratæ, quibus tamen ut ius fiat principi curæ uix erit. En igitur quomodo exiguam ulcisci uolentes iniuriam, plurima indigna pati, eáque iniuria longè grauiora, quæ ad bellum ipsos commouit, regulariter cogūtur. Sunt prætereà adhuc alij, qui potentiæ solùm ostentandæ causa, bella sæpè non necessaria mouent. Verùm illos si quis interroget, quidnam agere cōstituerint, postquam perpulchra sua consilia in effectum perduxerint, aliud quod respondeant uix habituri sunt, nisi quòd ex uictoria hoc commodi sperent, in pace & tranquillitate in posterum ut uiuant, & quod reliquum est uitæ tem-

pus cum illis, quos præcipuè amant, animi recreationem capientes, transigant. O homines inconsideratos! Ad quid quæso opus fuit tantis periculis, tantáque innocentis sanguinis effusione, quietem & tranquillitatẽ quærere, qua priusquam bellum exorsi sunt, fruebantur? Ad quid foris magno cum periculo quærunt, quod domi tutò possideant? Ah nondum quid sit natura Eminentiæ *rectè intelligere didicerunt, nec quàm eam regere sit difficile, ne illis damnum inferatur, quos illa fauore complectitur. Certè si comes illi detur inuidia, ipsa non absimilis uidebitur publicis illis mulierib⁹, quæ fictæ uenustatis fuco suum in amorem iuniores, quò tam corporis illorum incolumitatem, quàm bona, & ipsam denique ingenij tranquillitatem, paulò pòst deperdant, alliciunt.* Ad *eum prorsus modum se habet* Eminentiæ *cupiditas, quæ nescio qua imaginatione plurimis persuadet* Principibus, *pulchrum esse multis imperare, atque ea persuasione ad hoc eos impellit, quotidie ad altiora ut aspirent, donec aduersus aliquis fortunæ casus, uel diuturnior belli impensa, negotiorum ue perplexitas, cùm uidelicet consilia præposterè cadunt, intelligere illos faciãt, nullam maiorem esse* Eminentiam, *quàm quæ* Principi *data est, ut sua corona, & prouinciis, quarum supremã illi administrationem* Deo *placuit attribuere, contentus uiuat.* Quocirca *desinite,* Principes Christiani, *desinite* Eminẽtiæ *gratia multum uos amplius affligere.* Etenim *si eam intra continentiæ & rationis fines non continueritis, periculum erit ne integrum uniuersi orbis dominiũ*

ad explendam animi cupiditatem uobis sufficiat. Testis *ad hoc nobis idoneus erit magnus ille* Monarcha Alexãder, *qui cùm plures ei diceretur esse mundos, quàm unũ, ingemuisse fertur quòd nondũ hunc integrè perdomuisset: ac si parum illi fuisset unius mundi* Monarcham *uocari, etiam si alium non acquisiuisset.* Sed *omisso hoc de imperio sermone, nescio,* Reges *magnanimi, an principes aliquando fuerint, qui arma sumpserint, quòd commodum aliquod inde habituros se arbitrarentur, ac, ut ita loquar, eiusmodi fortunæ alea, sub eáque spe, suas diuitias adaugerent, qua mercator quispiam audaculus æquinoctialẽ & duos* Tropicos *peragrat, omnes* Aphricæ *regiones circumeundo, ut longa & periculosissima nauigatione uarias è* Calicuto *aromatum species adferri solitas, necnon alias* Orientis *merces, conquirat.* Illis *non aliud à me nunc responsum uolo, quàm ualde indignum* Principis *maiestate uideri, sordidum sectari lucrum, illúdque ante oculos positum habere.* Veruntamen *quandoquidem imitari ipsos utilitatis suæ gratia negotiatores delectat, rationem quoque quantum inde lucri percipere queant, diligenter imprimis ineant rogo.* Ad *unam igitur partem rationes detrimenti ex bello percipiendi, necnon sumptuum faciendorum, qui erunt immensi: ad alteram uerò quod ex belli uictoria commodum se sperẽt habituros, collocent: factáque collatione tum demum intelligent, quantum rationes dati exuperent rationes accepti.* Nec *iam cupio ut molestia illa, quam quolibet in regno ad primos belli rumores uidere licet, calculo hîc*

ſubducatur, neque quantoperè ſubditorum in ſe beneuolentiam Princeps *imminuat, cùm nouis illos impoſitionibus grauare quotidie cogitur, eorúmque bona in hoc accipere, ut mox ea barbaris diſtribuat, qui ſuã illi uitam pecunia numerata diuendunt ac locant.* Verùm *illud in ſuas rationes referat uelim, quantum ipſemet difficultatis & ſollicitudinis ſuſtineat: ſummatim deinde complectatur, quanta pecunia exercitus primò conſcribendus ueniat: item quanta ueteres duces & præfectos conuocari oporteat, ſubeuocatos colligi, imperij fines muniri, ciuitates uallo cingi, præſidia duplicari, tympano ubique in regno ſignum dari, uarias belli machinationes excogitari, tormenta in belli uſus fundi, ueterem tormentarium puluerem renouari, glandes apparari, papiliones & tentoria erigi, euectum inſtrui, triremes armari, nauigia adornari, in inſidiis ſemper exercitum ad mare ſubitarium & potentem habere, qui hoſtes, ne quam irruptionem in terram faciant, arceat & inhibeat: deinde quantum laboris & curæ ſubire ipſum neceſſe ſit, ut ſocios & confœderatos, tam pecuniæ largitionibus, quàm aliis mediis, retineat.* Item *quo pacto milites mercenarios ex* Heluetia & Germania *acciri curet,* Principes *extraneos in fœdus adſciſcat, eos, qui aduerſario fauent, abalienet, ſuáſque in partes attrahat, hoſtium denique conſilia exploret, ſua uerò illis tegat & occultet.* Et *tamen unà cum omnibus hiſce laboribus, & miſeriis propè infinitis, nihilo ſecius in perpetuo uerſabitur metu, ne aduerſus aliquis fortunæ caſus interueniat.*

His itaque ritè ponderatis, comperiet nullam esse uictoriam adeò splendidam, etiam quæ à principio fuit certa & indubitata, quæ uictori non magno empta pretio cõtingat, quæque nõ plus apportet damni quàm emolumẽti. Nam *si ut sæpè fit, multos in bello præstantes uiros perire usu ueniat, qui ducatus, quod regnum, quæ ciuitates etiam amplißimæ, ad remunerandum horum uirtute præstantium virorum vitam sufficere poterunt, ut illorum generositati æquiualens cõpensatio fiat?* O *quãtam ex eo consecutus es laudem, & memoriam immortalem, præstantißime* Imperator Antonine, *quòd uerbis sæpenumerò publicè testatus sis, unius te tuorum ciuiũ uitam malle seruare, quàm mille è tuis inimicis morti tradere!* V*idete igitur* Principes Christianißimi *ecquod emolumentum è bello tam magnum percipere poßitis, quod populi uestri, nobilium & propinquitatis gradu proximorum, pretiosæ uitæ æquipolleat?* Et *si quidẽ uobis omnino cordi sit, uestros homines in aliquo occupare, etiam atque etiam uidete quæso, ne uosmet decipiatis, ac illorum corpora simul & animas temerè periculo exponatis, uobísque in mentẽ ueniat, quòd ad periculosam illos obsidionem ducentes, citius minorique cum periculo, ciuitatem uestro in regno extruere illos feceritis, q̃ è uestro aliquã inimico usurpaueritis.* In *memoriã & id uobis reuocate, ꝙ inter prædones, & illos qui prædæ nomine bella sectantur, nõ aliud sit discrimẽ, extra q̃ quòd illi clam quid suffurentur ac rapiant, ij uerò ciuitates, adeóq; integras sæpè prouincias, publicè & palàm de*

popu-

populētur ac uastent. Illud *porrò etiā scitote, si iampridem id non intellexistis, quòd id ipsum, quod olim gētes plurimū laudi tribuebāt, puta, nouas acquirere terras, necnon pulchris ac splendidis* Augusti *nominis titulis sese uenditare, eò* ꝙ *sua imperia dilatare & amplificare, studerent: idem hodierno die non alio apud* Christia*nos nomine censeri, quàm alterum deprædari, suóque uicino iniuriā inferre, item* Deum *ipsum, qui omnes huiuscemodi incursiones & latrocinia seuerè prohibet, offendere.* Hinc *cuilibet facilè planū fit, quantoperè* Chri*stianis principibus difficile, atque adeò lege ipsorū impoßibile, futurum sit, belli negotia eo modo peragere, ut non plus inde damni, quàm commodi, percipiant.* Ad *hæc equidē precari ipsos inter alia uellem, modò ipsorū* Maie*statibus ab historiis exempla sumere non indignū uideretur, meminisse non grauarentur,* Chri*stianos post aliquod à* Christi *paßione tempus, toti propemodū mūdo dominatos fuisse, præcipuè autem* A*siæ, & illi tractui* Aphric*æ, qui* Aegypto *proximè accedit.* C*æterùm durantibus bellis illorum intestinis, & dissensionibus, opportunā nactus est occasionem seductor ille* Mahomet, *latè suam falsam doctrinam per* Orientem *spargendi.* Quo *deinde factum est, ut infideles, ob tristes* Christia*norum contentiones, paulatim progreßi sint, eóque pacto rationes exactè didicerint, insulas in mari mediterraneo, uidelicet* Rhodum, Cretam, Cyclades, Moream, Siciliam, Corsicam, Sardiniam *deprædandi.* Deinde *quoad* Aphricam, *fraude occupatis freti* Herculei *angu*

ſtiis, uaſtare & populari cœperunt regna Granatæ, Ar
ragoniæ, Caſtilliæ, ac totam denique Hiſpaniam. Poſt-
eà Pyrenæos montes ſupergreßi, nõ abſimilem exercue-
runt tyrannidem in prouinciis regni Galliæ, ut in Tholo
ſatium finibus, in Vaſconia, in Pictauiẽſi ditione, atque
adeò in tota Aquitania ad Ligeris uſque fluuios. Nõ ra-
rò etiam ex aliis partibus in diuerſis portubus erumpen
tes, peruagati ſunt totam prouinciã ad Auinionem vſ-
que: item Apuliam, Calabriam, & maritimas Italiæ
prouincias, ad Romæ uſque ſuburbia. In Aſia omnes tã-
dem prouincias ſub iugum miſerunt, quæ à Perſide Bi-
thyniam vſque ſeſe extẽdunt: indéque vlterius progreſ-
ſi, Helleſpõtum ſeu ſancti Georgij brachium ſuperantes,
quamplurimas in Græcia ſtrages ediderũt, qua ad Dal
matiam uſque euerſa, in mare Adriaticum nauigarũt,
ibique terram in continentibus Anconæ occuparũt, ſua
adeò benè fortuna utentes, & occaſionẽ quæ Chriſtia-
norum bellis ipſis oblata erat, dextrè accommodantes,
ut Chriſtianos temporis progreſſu tota Aſia & Aphri-
ca, & potiore parte Europæ depulerint. Verũ ſi hæc ob
uetuſtatẽ parũ uos exempla, Chriſtianißimi Reges, mo-
ueãt, ad minimũ in mentẽ uobis ueniat, quomodo Tur-
cæ præteritis hiſce annis, intereà dum ueſtri parentes toti
in hoc incumberent, quo alter bello alterum conficeret;
in illorum propè cõſpectu occuparint inſulam Rhodũ,
Belgradum, Budam, necnon complures alias in Vnga-
ria ciuitates & munitiones Chriſtianis ademerint, ſuá-
que ante Viennam caſtra metati ſint. In mari item me-

diterra-

diterraneo quomodo nostra memoria deprædati sint insulas Gozam, & Tripolim, nõ sine magna trepidatione insulæ Maltæ, & ordinis Equitum diui Ioannis. En fructus ille, quem è suis bellis hactenus perceperunt, & in posterum percepturi sunt Christiani Principes: nimirum, postquam mutuò se belli tempestatibus diu afflixerint, suásque uires tandiu probarint, donec intestinis illis conflictibus prorsus fractæ, atque in nihilum quasi redactæ sint, aderit Turca pro ueteri more, impetum nõ solùm in miseras uictorum reliquias, sed in ipsos etiã uictores iam lassos, & anteacti belli labore defatigatos, facturus. Nam sæpè compertum est, uictorias sine magna sanguinis effusione, etiam à parte uictoris, admodũ raro contingere. Quæ res proculdubio occasionem metuendi Regi Pirrho præbuit, cùm secundò aduersus Romanos fœlici fuisset uictoria usus, in qua plurimos è suis desiderabat, ne si tertiò superior euaderet, fieret ut ipsemet tandem succumberet. At obiicient fortaßis hìc aliqui, quòd etiamsi bellum nec regnandi cupiditate, nec ob illatæ iniuriæ uindictam, nec etiam ulla spe sua amplificandi, nedum propter leue aliquod emolumentum consequendum, suscipi debeat: attamen non eo minus dignum esse Principis maiestate, semper eò spectare, ut ex præclaris in bello rebus gestis honorem & gloriã consequatur, magnitudinísque & fortitudinis memoriam post se relinquat immortalem. Sed diligenter hìc apud uosmetipsos cogitetis quæso, Illustrißimi Principes, quòd bellum uictis sæpius ignominiæ plus & infamiæ, quàm

uictoribus gloriæ & celebritatis, apportare soleat. Siquidem multos in historiis reperimus, qui propter bellũ aduersum facti sunt infames, paucos uerò ob uictoriam celebres & claros effectos legimus. Nam eà uix dum acquisita, mox singuli aliquam eius ad se partem trahere incipiunt, undique honorem ea sibi uendicãtes. Quippe veterani duces suo factum consilio contendent, quòd tam fœlix belli exitus contigerit: Equites se primos iactabũt, qui hostiũ turmas & acies perruperint, fregerint: Pedites lancearum cuspides sanguinolentos ostentantes, crudelem illam lanienam se peregisse affirmabunt: Tormentarij absque machinarum fulgure dubiũ & nutantem futurum fuisse concursum gloriabuntur. Itaque uix ullus adusque annonæ structores, & infimũ ipsum vulgus, reperietur, qui aliquã uictoriæ partem sibi non adscribat: hîc quidem quòd commeatum in castra apportarit, alius quòd pecuniam & sumptus exercitui sustentando necessarios subministrauerit: ita ut vix pars millesima huius uani honoris Principi adscribenda ueniat, qui non sit nisi unus in tanto militũ numero ad bellum excipiendum, uel alteri inferendum, necessario. At ponamus ꝙ omnia solus effecerit, quódque omnis ad eum uictoriæ laus iure referatur. Nunquid tamen non plus inde gloriæ fuisset consecutus, ꝙ hominis uitam potius seruasset, quàm morti crudelissimæ tot tradidisset, qui ęquè Christiani sunt, ac ille: qui Iesum Christum, suum, ut ille, caput agnoscunt: qui eiusdem Christi sanguine redempti, quo ille: qui post hãc denique ui-

tam in regno cælorum hæredes se futuros, quemadmodũ ille, sperant? Considerate, Reges Christianissimi, quòd quò benefacta malefactis sunt laudabiliora, eò uobis laudabilius & honestius erit, principem aliquem in sua restituere, quàm inde eum pellere: in suo eum statu tueri, quàm eo ipsum spoliare: dignitatem illi suam sartam tectam relinquere & conseruare, quàm ad inferiorẽ vulgi conditionem eum detrudere: quæ res, si accidat, ad cõmunem omnium principum pudorem redundat. Cæterùm cogitatis, fortè, principi uiro decorũ esse, ciuitatem aliquã ui expugnare, diripere, euertere. Sed quemadmodum longè magnificentius & præclarius est ædificiũ aliquod splendidum extruere, quàm destruere: ita plus laudis uobis comparabitis, ciuitatis alicuius fundamenta ponendo, quàm duodecim solo æquãdo. Abiicite igitur ruinosas eiuscemodi laudes, quæ in tot miseros & calamitosos homines recidunt, & uobis interea temporis non tantùm adferunt commodi, quantum doloris & commiserationis, cùm miserabilis & tristis illius desolationis recordamini. Memoria uobis etiam non excidat, hominum gloriam ualde caducam & instabilem, nec ullam esse, præterquam solius Dei, æternam & perpetuam. Illud te prætereà nõ lateat, Rex Christianissime, neque Paschalẽ in historia tua Latina, neque me in Gallica, quam de te, dèque tuis maioribus cõscribere aggredior, aliud, unde plus ad nos laudis redundet, posteritati relinquere posse, quàm si dicamus, cùm ad tempus istud peruenerimus, dèque hac pace tractaturi simus,

» *Expertum te fuisse plurimas & diuersas belli fortunas,*
» *ac tandem ad pacem omnibus in orbe Christiano regnis*
» *tribuendam animum adiecisse, & maiorem deinde æ-*
» *tatis partem ad tuos subditos in tranquillitate retinen-*
» *dos peregisse: operam porrò dedisse, ut tuo in regno lite-*
» *rarum studia florerent, honestáque disciplina subditorũ*
» *animi ad uirtutẽ, digna laboris mercede proposita, ex-*
» *citarẽtur: &, è contrario, à uitiis seuera delictorum cẽ-*
» *sura auocarentur. Tuam denique maiestatẽ, Dei Opt.*
» *Max. honorem & cultum quotidie reuerenter præ ocu-*
» *lis habuisse, necnon iustitiæ & æquitatis iugiter memo-*
» *rem extitisse. In summa, utilitatem & commodum obe-*
» *diẽtißimi tui populi imprimis quæsiuisse.* En finis pulcherrimus, & historiæ conclusio honestißima, quam ullus certè Christianorum Rex perpetuò apud posteritatem immortali uirtutum suarum laude uicturus, expetere unquam poßit. Nam principes, qui rationibus parũ suæ legi congruis, necnon religioni aduersantibus, immortales se reddere conati sunt, illi in ipso mortis articulo prorsus sapè desperarunt, cùm in mentem illis mors reuocaret, quàm uarias in uita habuissent deliberationes, consilia multum intricata, spem lõgam & euanidã, ac rerum denique desideratarum fruitionem perquam exiguam. At respondebitis mihi, Reges Christianißimi, rationes à me hactenus recitatas, nequaquam tandiu bello occupatos uos detinuisse, uerùm causam habuisse uos, quæ ad arma sumenda uos permouerit, longè iustißimam: nimirum ut regiones & terras, quæ iure ad uos

spectant,

ſpectant, & à ueſtris Coronis *dependẽt, recuperaretis.* *Eſto ſanè, quòd terras, ducatus, & regna in controuerſia habeatis.* Sed *nunquid non aliud nouiſtis medium finem ueſtris litibus imponendi concinnius, quàm ut omnes ueſtras vires ad mutuò uos exſcindendos atque euertendos impendatis, veſtrique populi ſanguinem innocentem temerè effundatis?* Arbitror *equidem uos minimè ignorare, rei controuerſæ magnitudinem non efficere nimiam illam difficultatem.* Accidit *non rarò, ut de tribus partibus trium terræ iugerum, quæ ſub tribus diuerſis ſita ſunt iuriſdictionibus, atque trium ſtirpium ſucceßione ad aliquem deuoluta, qui abſque liberis deceßit, controuerſiæ fiant, quæ inter iuriſconſultos multo ad decidendum ſunt difficiliores, necnon tres illæ trium iugerum partes ad partiendum inter defuncti cohæredes collaterales intricatæ magis, quàm ſi de ducatu, uel regno aliquo, quæſtio moueretur.* Ac *tui quidem maiores,* Rex Chriſtianißime, Burgundiæ *ducatum* Coronæ Frãciæ *per* Regem Iohannem *eius nominis primum, adiectum fuiſſe prætenderant, eò quòd in paternæ hæreditatis diuiſione à rege Carolo eius nominis quinto,* Philippo *fratri, necnon maſculis eius hæredibus, ſub hac cõditione, ut linea hæredũ marium deficiente ad* Coronam *reuerteretur, attributus fuerit.* E *contrario uerò, defunctus tuus parens,* Rex Catholice, Philippi Caſtilliæ Regis *filius, qui* Mariam vnicam *domus* Burgundicæ *hæredem relictam, vxorem duxerat, eundem ducatum ad fœminas recidiſſe contenderat, non obſtante clauſula illa*

cõditionali recidiua, quæ in inuestitura fuerat adiecta. Qui igitur fit, quòd lis hęc, quæ in nostra Curia *nihil aliud quàm processus quidã de successione iudiciarius uocatur, aliter quàm ferro diiudicari nequeat?* Idẽ *de* Mediolanensi *ducatu dicere possum, qui tot iam bellis, tantisque cruentis stragibus, nobilitatus ac celebris effectus est.* Nam *de re alia quæstio non uertitur, nisi de successione* Valentinæ Philippi *Mariæ* Mediolani Ducis *primogenitæ, quæ* Ludouico *Aureliarũ* Duci, *Caroli quinti regis filio, in matrimonium fuerat collocata.* Quippe *totius crudelis huius disputationis quæstio in eo constiterat,* An Philippi *spuria progenies, præferri in ducatus successione legitimæ deberet.* Tantundem *inueniet quis in controuersiis de regno* Neapolitano, *ubi principalis hæc agitatur quæstio,* Ad *utrũuis regnum pertineat, an ad* Alphonsum *regem* Arragonum, *quem* Iohanna *ultima* Neapolis *regina adoptauerat, & post aliquod inde tẽpus ob suã ingratitudinẽ exhæredauerat: an uerò ad* Ludouicum & Renatum Andegauensem *eiúsque hæredes, quos trium pontificum authoritate & consensu, illa unum post alterum instituerat.* Breuiter *tota in eo consistit quæstio, ut inquiratur,* An *adoptio iustißima de causa reuocata efficere poßit, ut in successione regni* Neapolitani *extraneus adoptatus ac repudiatus siue emancipatus, ueris & antiquis hæredibus, necnon noua & uerè legitima institutione confirmatis, præferri debeat.* Mihi *porrò ad hoc respondeatis quæso,* Reges *Christianißimi,* Quid *si armorum loco, quibus hactenus estis usi,*

usi, selectos aliquot iudices inter sanctos cardinales, pietati deditos episcopos, doctrina excellentes præsides, libellorum magistros, regnorum uestrorũ, uel aliunde accersitos, cõsiliarios ac iurisconsultos, adhibuissetis, atque præstantium horum uirorum consilio, qui à uobis lecti, necnon iuribus uestris sufficienter instructi essent, rem controuersam transegissetis, dissidiáque, & his similia composuissetis? Hóccine *dignitati uestræ conuenientius, diuinæque uoluntati conformius, necnon populo uestro damnosum minus, adeóque uobismetipsis acceptius fuisset?* Adhæc *si subditis uestris sæuerè adeò hæreditaria sua bona ense uel ferro ne diuidant prohibeatis, cur uestra uos tanta cum sanguinis effusione diuiditis?* Deinde *si cõmodius uobis uideatur, ut certus illis iudicum numerus, qui ipsorum dirimant contentiones, cõstituatur, cur eodem modo uestra diiudicari recusatis, quo de subditorũ bonis sententias ferri procuratis?* Ideó *ne ad arma multitudinem concurrere inhibeatis, omniáque iure peragi præcipiatis, ne uestrarum prouinciarum status & trãquillitas interturbetur?* Quare *uestris interim cõtentionibus pub. totius* Christianitatis *quietẽ frangi & turbari permittitis?* Si *imperium uobis* Deus *in suum populum dederat, ut quod iustum est sectari eum efficiatis, cur idem inter uos mutuò non obseruatis?* Commodiús *ne uobis uidetur cruento & funesto bello uestra dissidia, quàm principum, & aliorum præstantium uirorum, quorum fidem & integritatem longo estis usu experti, iudicio terminari?* Commodius *item ne uobis ui-*

detur inconstantis fortunæ uos arbitrio, quàm doctrina & uirtute præstantium uirorum sapienti censuræ, submittere? Vsqueadeó ne fortunam mauultis sequi, quàm rectum rationis iudicium? Considerati ne, an uerò desperati homines, quæso, æstimandi sunt, qui pro re solùm dubia, & prorsus incerta, ea periculo fortunæ exponũt, quæ semper illis fuerant certa, nec in ullam unquam uenerant controuersiam? Equidem uobis confirmo, Reges Christianißimi, quòd si arbitros, qui uestras dirimant controuersias, elegeritis, sententia adeò iniqua ferri non poßit, quin, si illi standum arbitremini, plus uobis commodi adferat, quàm bellum uel maximè secundũ. Nam ad minimum hoc inde habituri estis bonum, ut cùm uestras amplificare terras cogitatis, subditorum numerũ non diminuatis. Deinde pro eo quòd agros & colles, qui profectò ad uestrarum Maiestatum comparationem exigui sunt valoris, satagitis acquirere, vestri populi, atque adeò proximioris interdum vestri cognati vitam non amittatis: quas, me hercule, res, boni Principes pluris æstimare, quàm omnes ducatus, præcipuáque huius mũdi regna, & solẽt & debent. Sed animum aduertite, quæso: postquam bellum diu peregistis ad hoc tãdem recurrere uobis necessum fuit, ut aliquot ex illis, qui primas apud uos partes obtinent, utrinque ordinarentur, qui placidè, quod à multis nunc annis uos uestrique parentes, armorum ui, diiudicare conati estis, transigerent. Atqui cur ab initio hanc iustitiæ uiam non estis ingreßi? Verùm accidit fortaßis, ꝙ quies nõ nisi post

longum & diuturnum laborem, corporísque defatigationem grata habeatur: quemadmodũ quæ dulcia sunt palato non sapiunt, nisi prægustatis amaris. At utinam Deus Opt. Max. *eam* Principibus *gratiam aliquando cleměter largiatur, ut quò in perpetuũ fugari hæc perniciosissima inter eos belli pestis queat, duas hasce solùm leges inuiolabiles inter se mutuò seruarent:*

Quoties duo Principes *Christiani aliquam habebũt controuersiam, mox talem principum, procerum, & aliorum doctrina præstantium virorum numerum eligent, quos ipsimet consulere, ac quorum deinde iudicio sua terminari dissidia uolent.*

Cæterùm si alteruter illorum ad arma recurrere, quàm rationi & æquitati obtemperare maluerit, aut posteaquam in iudices consensum est, pertinaciter illorum sententiæ fuerit aduersatus, is Christianæ Reip. *inimicus capitalis reputabitur, omnésque suas per hòc ueteres confœderationes amittet, necnon reliqui Christiani* Principes *ad eius usque fratres, omnes suas in eum uires conferent, ut ad debita eum officia præstanda compellant.* Deinde *si in sua rebellione & contumacia perseuerauerit, regno uelut indignus fugabitur, inque certo aliquo loco ita circumscribetur, nullam ut nocendi maléuefaciendi habiturus sit occasioně. Eius denique sceptra & diademata in illum reliqui transferent, qui ex ita proscripti familia gradu proximior erit, quémque æquitati minus inimicum, publicæ uerò tranquillitatis custodiendæ studiosum magis, animaduertent.*

Enimuerò si duæ hæ leges semper inter Christianos Principes viguissent, ita ut nulla inter ipsos bella excitata fuissent, sed perpetuò coniuncti confœderatique mansissent, nũquam illos Turcæ spoliassent Aphrica & Asia, nec Trapezuntij & Constantinopolis diademata illis ademissent, compluresque alias in Europa magnas & amplißimas prouincias suam in potestatẽ redegissent. At hìc rursus cogitabitis fortaßis, Reges Christianißimi, quod tam profundo uos pacis somno sopitos esse uelim, ut nullo unquam tempore de bello aliquo gerendo cogitetis. Verùm, è diuerso, humiliter rogatos uos cupio, ut nouum hìc belligerandi modum uobis proponatis, qui in perpetua uos pace non difficulter posteà retinebit, nimirum ut per totam uitam fortiter bellum exerceatis aduersus Ambitionem, aduersus insatiabilem dominandi cupiditatem, aduersus iniustitiam, iracundiã, aduersus denique uanam & inutilem huius mundi gloriam. Et quò facilius, minorique cum dispendio, crudeles eiusmodi nominis Christiani hostes, necnon ueteres nostræ quietis, nostræque religionis, perturbatores, trucidare poßitis, imprimis comitatos uos esse opportebit modestia, tẽperantia, æquitate, frugalitate, & super omnia ita uos componere, ut semper Dei honorem, timorẽ, reuerentiam, uestros ante oculos, tanquam certißimos negotiorum uestrorũ duces, & antesignanos, habeatis. Quippe talibus ducibus munitum esse Christiani Principis exercitũ prorsus est necessarium, si hostes suos, vitia, ferocißimos superare, uincere, domare cupiat. Etenim

nim si uictoria illos gloriosa non subiugauerit, & uelut in triumpho palàm non ostentauerit, tãtum abest ut pacem post longum & diuturnum bellum cum uicinis suis colat, ut ne quidem apud semetipsum retinere eandem sciat. Qui uerò firmo, & constanti, uirtutis amore, necnon uero Dei *eiúsque legis zelo, opponere se, fortitérque resistere, uitiosis suis affectibus nouit, is ad rationis normam,* Dei*que uoluntatem, se accommodans, solus unà cum suo populo, bonis à* Deo *sibi concessis, necnon pacis fœlicitate, frui poterit, omniáque à se incommoda, detrimẽta, & alia belli mala, facilè fugabit.* Ecce *igitur,* R*eges* C*hristianissimi, præcipuũ & principale mediũ, quo diu fœlix hæc pax, quam nuper* C*hristianitati conciliastis, commodissimè retineri poterit.* H*uc accedit & illud, quòd consilio & prudentia consultissimorum uestrorum hominum, eandem hanc pacem nouis duorum connubiorum sacris ratificari uolueritis: quæ sanè uincula tantæ sunt apud* D*eum authoritatis, necnon apud homines commendationis, ut difficile in posterum alterutri uestrum sit futurum, bellum aliquod inter uos excitare, quod benignitas, suauitas, liberalitas, magnificentia inter uos mutua, non facilè sedabit.* I*taque duobus hisce mediis pax perpetua durabit, si tertium uobis in obliuionem non ueniat, quod etiã hucusque non ignorastis, ut in consilio nimirum, & maioris momẽti negotiorum deliberationibus, illorum utamini opera, quos ingenij excellentia, multáque rerum experientia, splendidum inter amplissimos in uestris aulis principes ac do-*

minos dignitatis gradum adipisci fecerat. Illi nanque pro ea, qua præditi sunt sapientia, rectissimè uobis cõsilium dabunt, quo pacto uestra in pace regna diu conseruari queãt. Hi *uerò fortunæ uarias uicissitudines experti, à bello uos suscipiendo commodè dehortabuntur:* Nisi *excellens aliquis fortè, & heroica præditus uirtute, præteritorum bellorum labore nondum prorsus defatigatus, ad secretum aliquod fœdus faciendum, & militem conscriptum ac paratum ut habeatis, hortari uos uoluerit, ut prima deinde occasione, hoc est, primis dissensionibus, quæ propediem inter* Turcas *exorientur, totius illos* Christianitatis *uiribus aggrediamur.* Verùm *ad me quod attinet, nolo in præsentiarũ nisi de pace inter* Christianos *colenda quicquam suadere, vósque è somno nimiũ profundo, quo hactenus certè indormiuistis, paulum excitare.* Itaque *nulla nunc mentio à me fiet miserabilium lamentationum regij sanguinis* Constantinopolitanorũ Imperatorũ, *qui frustrà tot iam annis uindictam à vobis implorarunt.* Neque *etiã cõmouere mea uos oratione nunc statui, ad commiserationem tristissimæ illius seruitutis* Græciæ, *& maioris* Vngariæ *partis, necnõ tot calamitosorũ* Christianorum, *quos infideles illi canes, uinculis & catenis cõstrictos tenent, boum & equorum loco illis in terra colenda utẽtes.* Denique *nec ulla me uerba facturum proposui de proscriptis ac perditis in mari latronibus, sed omnia hæc in aliud tẽpus aptius reseruabo.* Spero *enim in lucem editurum me breui, præclara & memorabilia maiorum nostrorum gesta,*

qui

qui duce Godofredo Billioneo *omnes illas* A*siæ prouincias, quæ ab* Hellespõto *ad magnũ usque fluuiũ* Euphratem *se extẽdunt, necnõ sepulchrũ* Domini, *& totam terrã sanctã, è* Mahometistica *tyrãnide in libertatẽ gloriosè uindicarunt.* E*tenim habebũt, uti coniectura auguror, plus authoritatis & uiriũ maiorũ uestrorum exẽpla, quàm nuda hæc cõmemoratio: idque cùm alias ob causas, tum uel ob hãc, quòd planum me uobis facturum sperẽ, nihil ab illis tunc temporis præclarè gestum, quod uobis hoc tẽpore ualde difficile, nedũ impossibile, uideri queat: cùm præsertim tot præclari duces uobis præsto sint, tot animosi bellatores, tam equites, quàm pedites, tot denique ingenio uiri præstãtissimi, qui uariis stratagematum generibus instructi, dextrè atque ingeniose uiriũ uestrarũ furorem & impetũ exequi norunt.* R*euertor igitur unde paululum sum digressus ad propositam de pace orationem.* E*t quidẽ postquã uestras precatus fuero* M*aiestates, ut imprimis meminisse dignẽtur, bellũ* C*hristianis, nec à* D*eo, nec à* N*atura, permissum esse: siue id maiestatis ostẽtandæ gratia, siue regnandi cupiditate, siue ambitionis, utilitatis, honoris, gloriæ respectu, siue etiam ob terras amissas recuperandas, tentetur.* D*einde quòd pax illo solùm bello, quod cum uitiis assiduè gerere nos oportebit, necnon splendore illo sacrosanctorum fœderum uestrarum familiarum, prudentiáque consilio illorum, quos ingenio & longa rerum experientia præstãtes circa uos habetis, retineri debeat, nihil amplius superest, quàm ut obedientissimorum uestrorum subdito-*

rum nomine immortales uobis gratias agã, pro eo quòd hanc illis quietem & securitatem in locum laboris & desperationis rerum suarum, in quibus, furore belli durante, languidi iacebant, effeceritis. Postremò ad uos quod attinet, amplissimi viri, qui tantoperè desideratæ, nobisque propemodum insperatæ, huius pacis authores quasi extitistis, cùm beneficiorum uestrorum in eo magnitudo tanta sit, nobis ut gratitudinis exhibendæ facultatem adimat, amplius polliceri nihil possumus, quàm debita nos reuerentia & honore perpetuò uos prosecuturos, necnon pub. tranquillitatis authores, Christianitatis patres, adeòque humani generis conseruatores, uos agnituros. Accipite igitur, unà cum beneficiis illis, quæ in uestro uobis legationis munere Deus ipse tribuit, gratiarum hasce actiones, quas uniuersi homines uobis nũc offerũt, pro eo quòd ab incendio illorum domos, à sacrilegiis templa, à rapinis ciuitates, à sterilitate agros, prouincias denique illorum à solitudine & uastitate, conseruaueritis. Operã quæso præterea date, ut tanto in posterum nobis bono diu perfrui liceat: & ne breuior eius fœlicitatis fruitio, tanto maiores nobis adferat dolores, ad quos iam pridem, proh dolor, satis multum adsueuimus.

DIXI.